



R.D. Iacobi Marchantii Vitis Florigera

Marchantius, Jacobus

Coloniae Agrippinae, 1661

34. In Festo S. Iacobi, tripart. Ego primogenitum ponam illum excelsum
præ Regibus terræ. Psal. 80.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56381](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56381)

ORATIO AD S. MAGDALENAM 30. versibus confans: In honorem annorum 30. quos in deserto peregit.

Dulcis amica Dei, lachrymis instillare nostris, Atque humiles atterere preces, ne frange salutem...

IN FESTO S. IACOBI.

Lect. 32. in part.

Ego primogenitum ponam illum, excelsum pra Regibus terra. Psal. 80.

Pars I.

Varij tituli dantur Apostolis a SS. Patribus, de promptis ex factis Literis. Vocantur enim Principes Ecclesiae...

Apostoli vocantur Primogeniti.

Ceteri hi, alijque innumeri tituli jure eis competunt. Ceteris autem nunc silentio involutis, attribui merito dicimus eis hunc titulum gloriae & honoris...

Temus II.

monio Ecclesiam Sponsam dilectissimam. Hoc vero matrimonium inchoatum fuit incarnatione, restitutum in cruce, consummandum tandem perfectum in glorificatione...

Psal. 66.

Inter hos ergo filios Primogeniti dicuntur Apostoli, quia primi semine incorruptibilis verbi Ecclesiae a Christo Domino sunt geniti...

Quare vocati Primogeniti.

Psal. 44.

Olim Primogenitura inter Fratres maximi fiebat, variisque erat adornata privilegijs. Hinc ex utero contendebant Jacob & Esau de Primogenitura.

Privilegia Pri- utero contende- bant Jacob & Esau de Primogenitura.

- 1. Constituebatur primogenitus tamquam familiae Princeps & Dominus. 2. Sacerdotium primogeniturae annexum erat. 3. Jus ad hereditatem duplicem, vel ad principalem speciale habebat. 4. Jus quoque ei compete- bat ad paternam benedictionem.

Haec omnia satis patent in Esau & Jacob; quia cum Esau vendidisset illi jus primogeniturae, mater ei tradidit vestes optimas & odoriferas Esau, quas fuisse sacerdotales, multi sacri Interpretes docent...

Gen. 27.

Simili modo dicimus Apostolos esse Fratres nostros Primogenitos, quibus specialis benedictio data est a Christo in familia sua, specialeque jus & auctoritas alios dirigendi & gubernandi; quia constituti sunt Principes nostri, quibus debemus incurvari & submitti. Hoc est quod dicitur: Constituit eos Principes super omnem terram, memores erunt nominis tui Domine, Propterea populi consistebantur tibi

Applicantur Apostoli.

Psal. 44.

in aeternum, & in saeculum saeculi. Ipsi quoque sunt Sacerdotes & Sacerdotum Duces, primi dignitate, primi gratia, primique gloria: qui illos benedixerit, erit benedictus; qui maledixerit, maledictus. Ea propter posset Christus de illis dicere, quod de Ruben dicebat Jacob: *Ruben primogenitus meus, fortitudo mea, prior in donis, major in imperio.* Apostoli enim Filij primarij sunt, in quibus cernitur fortitudo Christi & Ecclesiae: Quia fides & Ecclesia Christi in illis confugit, adeo fortis & roborata ut inferri porte & vires omnes non valeant praevalere. Ipsi sunt in donis primi. Vnde dicit de se & illis Paulus *Rom. 8. 2. Cor. 2.* *Apostolus: Nos ipsi primitias Spiritus habentes, legatione fungimur pro Christo.* Quod verum est, non solum quia prius tempore Spiritum Sanctum cum donis suis perceperunt, sed etiam quia plenus & perfectus dona illa participarunt: nam & in fructibus quod prius ad maturitatem pertingit, pinguius esse solet, & magis gratum acceptumque. Certè Apostoli tantis divinarum gratiarum donis à Spiritu S. repleti sunt, ut non solum Sanctos veteris Testamenti, sed etiam novi Testamenti superarint, abundantiusque prae illis Spiritum sanctum participarint, quacunque dignitate fulgeant, sive Martyrij, sive doctrinae, sive virginitatis, ut asserit S. Thomas in c. 8. epist. ad Rom. Datur equidem unicuique gratia secundum mensuram donationis Christi; ille porro dat illam secundum munus ad quod eligit. Cum autem ad summam Apostoli dignitatem electi sint, ut fundaretur in illis Ecclesiae fides, & immediatè ad orbis conversionem & salutem Legati mitterentur, ideo eis abundantior gratiam prae ceteris Sanctis dedisse censendus est. An non abundantius participant de fluentis, qui proximiores sunt fonti? An non plenus participant de Sole & ardore, qui viciniores sunt Soli? An non membra digniora & viciniora capiti, eo magis participant de influxu vitali? Christus ergo cum sit Sol, Fons, Caput nostrum in ordine gratiae, censetur Apostolis, tanquam ipsi conjunctionis proximus, etiam copiosius influxisse dona caelestis gratiae. Ergo unicuique Apostolorum comparatione Sanctorum inferioris ordinis rectè illud convenit: *Prior donis, major in imperio.* Quare major in imperio? Quia Apostolica dignitas Principatus fuit super omnem terram à Deo constitutus, & primogenituræ huic adnexus.

Quare ad vertendum est. Apostolos quidem omnes Petro tanquam Capiti Ecclesiae subditos fuisse; attamè cum illo parem potestatem in multis habuissent. Primò quidem predicandi Evangelium in toto orbe, ad obediendum sicut in omnibus gentibus; hoc est, ut sua predicatione inducerent omnes gentes ad se submittendum, & ad credendum Evangelio. Secundò fundandi ubique Ecclesias; hoc est, creandi ubique Episcopos & Presbyteros, instruendique ritum sacrorum & sacramentorum, totum denique ordinem Ecclesiae disponendi. Tertio mandandi & prohibendi, puniendique ubique fideles omnes. Et in his omnibus Principatus eorum super

omnem terram consistit, tanquam qui Vicarij & Legati à Christo in universum Orbem constituti erant, ejus personam & auctoritatem representantes, sicut Legatus Regis personam representat. Propterea igitur unicuique eorum dicitur, *Major in imperio, Prior in donis,* cum Apostolica dignitas summa fuerit in Ecclesia.

Non negamus tamen, Petro ob Capitis supremam & inter ceteros Apostolos eminentem auctoritatem specialiter etiam convenire illud: *Tu Primogenitus meus, prior in donis, major in imperio.* Item & illud: *Tu Fortitudo mea, Principium doloris mei.* In ipso enim tanquam petra fortissima Ecclesiam fundavit Christus, sed doloris initium Christo fuit ejus negatio, quam antequam pateretur, Petro significat, non sine interno dolore & cordis percussione. Initium ergo doloris Petrus, qui post tot dona & privilegia Magistrum erat abnegaturus. Sed quid est; quod subditur: *Ascendisti cubile Patris tui, effusus es quasi aqua ne crescas.* Certè hoc in ejus opprobrium dicitur, ob congressum cum Bala uxore Patris sui Jacob, quæ luxuria effusus incestavit, ideoque tribus Ruben una fuit ex minimis. Hoc tamen S. Petro in bonum sensum trahendo accommodari potest. Ascendit ipse crucem cubile Christi Patris sui, sanguisque ejus effusus est instar aquae: tota vita sua, quas & renovavit in cruce. Dicitur autem ei: *Ne crescas,* tum ut admoneretur humilitatis, qui per præiumptionem peccavit; tum ut significetur id, quod in ejus contigit passio. Noluit enim in cruce exaltari & crescere instar Magistrum sui capite sursum; sed potius humiliari & decrefcere, dum suppliciter rogavit & obtinuit, ut capite deorsum circumingeretur. Sic quæ uno major fuit, tanto humilior esse voluit, suosque successores in Apostolatu & Pontificatu hanc humilitatem edocuit, illius humilitatis aeternum memores eos esse voluit, ne in dignitate sua nimium per superbiam crescant, nimiumque exalcentur. Hinc & in stercorearia lapidea in inauguratione collocantur, praepositisque decantatur in S. Ioanne Lateranensis: *Sustentans in pulvere egenum, & sic stercore erigens pauperem.* Iterum stuprà accensâ eis inclamatur: *Pater sancte, sic transi gloria mundi: ne in sua superbiat celitudine, per hanc morientur.*

Itaque de singulis Apostolis verum est illud Domini apud Psalmistam: *Ego primogenitum ponam illum, excelsum prae Regibus terrae;* quandoquidem Primogeniti nomen eis ob rationes dictas aptissime competat. Quod autem excelsi sint prae Regibus terrae, pernotum est, quia Reges & Principes, eorumque scepra & diademata eis submissa videmus, & humiliter subdita: Regibus enim Apostoli imperarunt, & eos cum regnis & sceptris suis obedientiae fidei subiecerunt. Quapropter respectu illorum Dii vocantur apud Psalmistam, eo sensu quo & Moyses Dii dicitur constitutus Deus Pharaonis. Hinc illud: *Psal. 44. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham,*

Gen. 49.

Rom. 8. 2. Cor. 2.

Apostoli abundantius cate-
ratis Spiritu
S. repleti.

Ephes. 4.

Apostoli in aliquibus parè potestatem cum S. Petro habuerunt.

S. Petri eminenti

Gen. 49.

Gen. 24.

Humilitatem S. Petri alibi exemplum praepositum.

Psal. 44.

Apostoli Dii dicitur constitutus Deus Pharaonis. Hinc illud: Psal. 44.

ham, quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati sunt. Id est ipsi Principes cum populis suis ad fidem venerunt, & dimissi Diis Patrum suorum, cum Deo Abraham, qui solus verus est Deus congregati sunt, & hoc per prædicationem Apostolorum. Illi enim tanquam Dii fortes terræ elevati sunt adeo vehementer donis gratiæ, sapientiæ, fortitudinis, donisque miraculorum, ut Principes populorum eis resistere non poterunt. Hæc est expositio S. Chryso- stomi in illum locum Psalmi. Nimis ergo confortatus est Principatus Apostolorum, quandoquidem & super populos, & super Reges, & super Demones potestatem sortiti sunt. Dedit Dominus Apostolis potestatem super naturam, ut eam curarent; super elementa, ut ea immutarent; super Reges, ut eos converterent; super Demones, ut eos evertent; super mortem, ut eam contemnerent; super Angelos, ut corpus Domini consecrarent. Sic non mirum, quod ob hanc eminentiam Dii quandoque in sacris literis nominentur. Nam & Gentiles, cum viderent & audissent Lictis Paulum & Barnabam, dixerunt: *Dii similes facti hominibus descendarunt ad nos.* Et vocabant Barnabam Iovem, Paulum verò Mercurium, quoniam ipse erat Dux verbi. Sacerdos quoque Iovis, qui erat ante civitatem, tauros & coronas afferens cum populis volebat sacrificare, nisi impedivissent eos Barnabas & Paulus exilientes in turbas, & se mortales afferentes, milos ut annuerebant ab his vanis converti ad Deum vivum. Apostoli itaque aliquid divinum spirabant in vultu, voce, moribus, miraculis, ut viderentur non tam homines esse, quam Dii lapsi de celo, hominibus & Regibus excelsores.

PARS II.
Tit. Primogenitus
specialiter
S. Iac. con-
vovisse.

1. Primum quidem, quia fuit à Christo vocatus inter primos ad Apostolatam, statimque eum secutus est, factus obedientiæ filius licetque Primogenitus, exemplar aliis futurus.
2. Secundo, instar Primogeniti variis eum Christus favoribus est profecutus, Nam ubi aliquod mysterium speciale à Christo peragitur ibi solet adesse Iacobus. In monte transfigurationis, in orto passionis, in suscitatione filiae Principis Synagoge assumitur Iacobus specialiter cum Petro & Ioanne, non sine mysterio, nec sine dilectione singulari. Sicut etiam Petro speciale nomen à Domino datur, ita & Iacobo, dum *Boanerges*, hoc est, *Filius tonitru*. Filii quoque lucis & fulguris nominatur. Et sicut Petrus primariam Vitem Occidentis Romam sua illustrat passione, sic & Iacobus primariam Orientis Vitem suo respersit illustremque facit sanguine.
3. Tertio instar Primogeniti dilectissimus fuit Deiparæ Virgini, illa enim apparuit adhuc viventem Iero-

solyam: S. Iacobo agenti Casaragustæ. Cum obambularet circa fluvium tristis, quod paucos ad fidem converteret sua prædicatione, cumque ibidem orationi se dedisset, apparuit ei Deipara in Columna Iaspidis ab Angelis illuc deportata, divinas laudes muta decantantibus harmonia. Monuitque Iacobum, ut ibi Oratorium erigeret in honorem Deiparæ, quod ipsa ex tunc in protectionem suscipiebat, fore enim, ut Provincia illa postmodum converteretur, & Virgini devotissima existeret. Erexit ergo Oratorium Iacobus adhuc viventem Virgini, quod etiam modo existit, & vocatur *S. Maria de Columna*, quod quidem primum in Orbe fuisse edificatum, tradunt Annales Hispaniæ. Vide Ribad. in festo S. Iacobi.

Quarto, ideo specialissimè S. Iacobus dicitur Primogenitus inter omnes Apostolos, de illoque verificari dicimus: *Ego Primogenitum ponam illum*, quia hæc est ejus specialis gloria & laus inter omnes Apostolos quod primus generosè martyrium subierit pro Christo, sicque primus æternitati est genitus per mortem & sanguinem, cæteris quasi Dux existens & Antesignanus.

Referunt nonnulli celebres Interpretes (explicantes illud Psal. *Facta est Iudæa sanctificatio ejus*) persequentibus Iherosalem Egyptum mare divinum fuisse coram eis in duodecim divisiones sicut erant & duodecim tribus. Eò non obstante formidolosi & divinæ potentæ quodammodo diffidentes, non ausi fuisse ingredi mare & ejus fœcundam abyssum. Sed Aminadab Princeps de tribu Iudæ animam cæteris addens, primus ingressus est cum vexillo, moxque alie tribus sunt secute. Quia autem Princeps ille cum tribu sua, tribu Iudæ, primus forti animo ingressus est, ideo promeruit hæc tribus dignitatem ægiam & principatum super omnes. Hinc etiam dictum patet: *Facta est Iudæa Sanctificatio ejus*, vel ut ex Hebræo legitur: *Facta est Iudæa Sanctificatio ejus*, quia sua obedientia sanctificavit primi Deum ingredienti mare hi qui de tribu Iudæ erant, aliorumque rebellionem sedarunt nolentium ingredi.

Psal. cxx.

Quicquid sit de hoc, ecce Iacobus primus est Dux & Antesignanus inter Apostolos, qui per mare rubrum sanguinis sui Christum sequitur, ardui itineris hujus nihil veritus difficultates, Christus ergo sic virga crucis aperuit viam in celum per asperas vias, hujus omnino vestigia primus sectari presso pede non refugit Iacobus, ut cæteris Apostolis, imò & fidelibus, sit exemplo, cuique calcet & animum adjiciat.

I. Iac. primus Apostolus Martyr.

An non ergo merito Iacobus Primogeniti nomine & jure inter Apostolos gaudet? An non merito dicit de eo Dominus: *Ego Primogenitum ponam illum?*

- Primogenitus*, quia primus inter illos æternitati genitus.
- Primogenitus*, quia primus per sanguinem adit hæreditatem.

Primogenitus, quia primus cuore suo fundat Ecclesiam.

Primogenitus, quia primus Patris sui bibit calicem.

Primogenitus, quia primus morte signat dilectionem.

Primogenitus, quia ut Sacerdos offert se primus victimam.

Primogenitus, quia cæterorum Princeps, primus affequitur lauream.

Primogenitus, quia prior in donis, major in imperio.

Cent. 49. Certè etiam S. Iacobo rectè potest dicere Dominus, quod Iacob enim dixit Ruben: *Tu primogenitus meus, fortitudo mea, principium doloris mei, prior in donis, major in imperio.* Ipse enim primus fortitudinem ostendit, quia propter Christum nullis oportet cedere tormentis, nec ipsi morti. Principium quoque censetur doloris Christi, quia ipse primus neci datus est inter præcipua membra Christi, hoc est inter Apostolos. Sicque quodammodo renovatus est Christi dolor, qui in suis patitur membris. Denique, *Prior est in donis*, quia non exiguum sicut donum pro illo emori inter primos, & gloriam assequi ante cæteros. Major quoque in imperio e ratione dici potest, quia ab eo tempore, quo gladium passus est Herodis, & pro fide primus gladio caput obiectus, datus est ei gladius in manus, quo adversus infideles pugnet. Quos gladio verbi ante mortem non vicit (quia paucos convertit) nunc gladio & armis vincit, imperioque quod apud Deum promeruit.

Hinc toties adfuit auxilium contra infideles, præciens gladio & armis visibiliter, ut divini imperij fines prorogaret Hispaniam enim à Mauris & Saracenis liberavit, visibiliter præcedens aciem Ramiti Regis. Nam ille anno Domini 844 cum innumeris Saracenis, ob recentem victoriam insolentibus & sibi insolentibus, monitu & invocatione S. Iacobi confligens, eos omnes vel interfectioni dedit, vel cepit, vel in fugam egit. Quapropter Hispani ejus opem ferventer implorant in præliis, quia contra fidei hostes sepe numero victorias illustres ejus subsidio reportant. Imò hoc S. Iacobo debet Hispania, quod in vera fide huc usque à tempore Apostolorum constans fuerit, ita ut ejus Reges *Catholici* et specialiter intulerunt. Profectò Hispania quodammodo censetur basis & columnen fidei & Ecclesie eam acriter propugnans, & ejus hostes, ubi potest expugnans.

Adde, non solum tribuendum esse meritum & patrocinio S. Iacobi quod post ejus mortem tota Hispania ad fidem sit convertita: sed etiam ejus meritum & patrocinio adscribendum est, quod Hispania fides Christi cum æterni nominis gloria per Indias, tam Orientales, quam Occidentales propagavit, & hæc tenus longè lateque propagare nõ desinat. Huic rei conventus illud: *Quis genui tibi istos, Ego sterili*

Et non parienti, transjurgata & captiva: Et istos

quis enutrivit ego deservita & sola: Et isti ubi erant? Ecclesia rei inexpectata magnitudine quasi attonita, & prælectitia exultans, sibi congratulatur, & salutis tantæ auctoribus, in conversione infidelium, & generatione novorum filiorum. Quasi dicat cum affectu & admiratione. Ego jam in Europa sterili & non parienti, ego hæreticis pleraque occupantibus partim transjurgata, partim captiva: ego Christianis Regibus me deserventibus, immò oppugnantibus, destituta & sola: Quis ergo genuit istos? quis enutrivit ubi erant? Quindecim sæculis sine his filiis sterili permansi, quis ergo genuit eos? quis educavit ubi erant isti. Nempè Hispaniæ & ejus Regibus hæc gloria debebatur, meritum & intercessione ac patrocinio S. Iacobi Apostoli sui, ut crucis vexillum incognitis aucta populis infunderent, & Christi Ecclesieque imperium dilatarent. Quod quidem ab ipsis factum est, magis quàm ab ulla natione, & magis quàm ab ulla Regibus à tempore Constantini Magni. Non solum enim ad Japonas & Indos sed etiam ad remotissimos Sinas Crucis & Crucifixi imperium & signa protulerunt, cum cœli & terræ applausu. De qua re ibidem fit mentio, dum dicitur: *Ego levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, & afferent filios tuos in ulnis, & ad filias tuas super humeros portabunt.* Quasi dicat: Tanquam boni Pastores oviculas hinc inde collectas ad caulas Ecclesie deferent, & signum meum, Crucis scilicet vexillum ubique erigent cum gaudio.

Atis igitur ex hæcenus dictis patet, cur aptè de S. Iacobo dicatur: *Ego primogenitum ponam illi.* Nunc explicandum restat, cur specialiter etiam de eo dicatur: *Ego ponam illum excelsam præ Regibus sui excelsam terræ.* Licet enim hæc de Salomone dicta sint, conveniunt tamen etiam Apostolis, & maxime huic Apostolo. *Primo* quidem hoc videtur creditu satis difficile, si superficie tenus res consideretur, quia nihil abjectius, nihilque vilius videri solet Apostolis, ita ut dixerit Paulus: *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium perisurina usque adhuc.* Quasi dicat: Tanquam excrementa, fæces, & sordes, quæ everruntur & ejiciuntur, sic nos mundus habet; habemur enim tanquam contemptissimi & abjectissimi, indigni hominum consortio, mundo efficiendi & exterminandi. Et sicut perisurina, hoc estamenta vilissima abijciuntur & calcantur ab omnibus, sic & nos. Tamen ipsi supra Solem cœlumque ambulantes & quæcumque sub inconstanti aëro luna projecta sunt despicientes; Regibus erant excelsiores, tandemque Regna etiam & sceptrum cum Regibus & Principibus sibi subjecerunt gloriamque majorem affecti sunt, quàm omnes Reges bellicis, aut regni magnificentia & potestate. Quia memoria eorum æterna est & immortalis, etiam apud homines: Regnum autem memoria cineri & favillæ comparatur, quam ventus dissipat, ideoque dicitur perire cum sonitu. Melius

Reges

Reges ac Duces heroicis gestis nomen suum immortalitati consecrare conati sunt: at in pulvere & terra oblivioni sepulcrum dant: ita ut nec multorum nomina refidua sint, nec agnita iam mortalibus. Quod si quorundam superstitio, factorem potius quam odorem spargunt; ita ut verum sit illud: *Memoriam iusti cum laudibus, nomen autem impiorum patrescit.* Vident ergo quomodo ex parte Apostolos suos Dominus antea abjectissimos excelliores fecerit pra Regibus terrae?

Secundo, quomodo eos excelliores fecerit Principibus & Regibus terrae, ex eo patet, quod eos Iudices fecerit totius orbis, Regumque & Principum infidelium eis obstitissent Vindices, An non hoc cecinit Rex & Propheta: *Exaltationes Dei in gurgure eorum, & gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus. Ad alligandos Reges eorum in compediibus, & nobiles eorum in manibus ferreis, ut faciant in eis iudicium conscriptum; gloria hac est omnibus Sanctis eius.* Quasi dicat: Ipsorum os ad divinas laudes celebrandas sublimiter semper erit apertum; simul verò Deum laudabunt, & hostes suos ulciscuntur; gladioque ex utraque parte secantes frangent contra impios exprobrantes eis impietatem. Immo Principes infideles, Persecutores Ecclesiae, ligatis manibus & pedibus in ignem & tenebras deiciant & proculcavebunt. Hoc est enim iudicium jam olim decretum & conscriptum, quod immutari nequit aut infringi. Haec est gloria quam Sancti habebunt (maximè Apostoli) iudicariam potestatem posse in eos exercere, qui se iniuste iudicaverunt & condemnarunt.

Sic igitur S. Iacobus Herodè Rege excellior, ejusque Iudex & Vindex constitutus, ligatis manibus & pedibus, in tartara tyranum impium detruet; & proculcabit irrevocabili decreto cum supremo Iudice Christo: quia ejus approbabit sententiam jam olim decretam ejus impietatis. Vnde etiam S. Iacobus cum gladio pingui, tum ut significetur quàm morte Deum glorificaverit, tum ut significetur ei à Domino gladius datus, hoc est potestas ad exercendam vindictam in eum qui gladio se videbat in Christi Apostolos; tum Denique ut significetur gladius potens quo Ecclesiam protegit adversus infideles. O verè excelsum vinum pra Regibus terrarum! O vinum etiam Potentem in morte! Nam cum ad mortem duceretur (quam eodem die contigisse quo Christi. Domini mors contigit, hoc est 25. Martij tradit Ado in martyrologio & Calixtus Papa 1. de Miraculis S. Iacobi) paralyticum suam opem invocantem sanavit, & suum hictorem osculo pacis dato ad Christum converterat, sicque socium passibus effecit. Quod & Paulus Apostolo ac nonnullis aliis Martyribus contigit. Quapropter S. Nilus hom. 2. de Christi Decenti. Ecclesiam comparat viti, quae quo diligeretur amputatur, eò fit ite undior, Succiditur enim Ecclesia palmes per martyrium, & fidei fructus augetur, florentiq. non marcescunt.

tem proferebat, Stephanus tanquam ramus excidebatur, & alius Martyrum palmas pullulabat. Iacobus & Petrus rescabantur, & alius rursus Martyr exorirebatur, multiferque palmas & radice hac emittentur. Vindemebatur Paulus, & alius Martyr rursus maturefcens Thomas apparebat, undique radice vindemata copiam uberiores proferebat. Et quidem isti excisores brevi marcescentes exterminati sunt: haec vero semper gravata fructibus, terra sine suis complexa est germinibus. Haec S. Nilus.

Tertio, si vis videre quomodo excelsum fecit Dominus S. Iacobum pra Regibus terrae, considera ejus sepulchrum tot miraculis illustre, Christianorumque confluxu & peregrinatione solemnè ex toto orbe admirandum. An non & illud Reges ac Principes secepra sua & diademata submittant pulveremque pedum ejus venerantur? An non dona ibi varia ex voto offerunt? Certè etiam illud hic verum est: Reges videbunt, & consurgunt Principes, & adorabunt propter Dominum, & sanctum Israel qui elegit se. Et rursus: *Erunt Reges nutriti tui, & Regina nutrices tuae. Vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum ligent.* Denique & illud Genes quae te non cognoverunt ad te current, propter Dominum Deum tuum & sanctum Israel, quia glorificaverit te. An non hoc impletur in varijs populis Germaniae, Angliae, Galliae, Belgij, & alijs currentibus ad locum quem S. Iacobus corpore suo ac sepulchro consecravit? Quot millena Christianorum locum hunc frequentarunt maximè devotione? Quot Reges & Principes eundem locum & praesentia sua & donis amplissimis exornarunt, & sic Ecclesiae de Compostella, ubi corpus istud collocatum est, Nutriti fuerunt? ubi sunt sepulchra aut Pompei, aut Iulij Caesaris, aut Alexandri, aut Herodis, aut aliorum Regum, sic vestigijs adventantium honorata? Excelsum ergo pra Regibus terrae reddidit illum Dominus, qui à terra Regibus prius despectus videbatur; ita ut hic cum admiratione liceat exclamare: *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est Principatus eorum!* Etenim & per Principes vult hunc amicum suorum Principatum exaltari. Audi specialiter de S. Iacobo.

Postquam Carolus Magnus multa acquisivisset regna, proposuit à praesiliis quietescere, statimque intuitus est in caelo viam quandam stellarum, incipientem à mari Frisiae, & tendentem inter Theoticam & Italiam, inter Galliam & Aquitaniam, per Galconiam, & Navarram, & Hispaniam usque ad Galeciam, in qua B. Iacobi corpus tunc latebat incognitum. Hanc viam per singulas noctes aspicebat Carolus, & cogitabat quid significaret. Haec cogitandi apparuit vir quidam praclarus nocte in caelasi, dicens: *Quid agis fili mi?* Cui Carolus: *Quis es Domine?* Respondet: *Ego sum Apostolus Iacobus, alumnus Christi, frater Ioannis, quem Herodis Rex gladio peremit, cuius corpus in Galecia, quae à Saracenis turpiter opprimitur, incognitum quiescit.*

Prov. 10.

Psalm. 49.

S. Iacobus cum pingui gladio.

Psalm. 49.

Psalm. 130.

Ex Turpinensis hystor scriptura.



Vnde miror quod terram meam nondum liberaſti, qui tot urbes acquiſiſti. Quare tibi noſtice, quod ſicut Dominus potenter omniſum Regum te fecit, ſic ad præparandam iter meum & liberandam terram meam te elegit, ut tibi coronam æternæ retributionis præpararet. Vnde ſtellarum, quam in celo vidisti ſignificat quod cum magno exercitu ad expugnandam paganorum perſidiam, & liberandam iter meum, & ad viſitandum Sarcophagum meum ab his oris uſque ad Galæciam iurus es, & poſt te omnes populi uſque in finem ſæculi. Taliter apparuit Carolo Apoſtolus tribus vicibus. Poſt hoc ille cum exercitu magno perrexit, cumque obſideret Pamploniam tribus menſibus, & muri eſſent inexpugnabiles, oravit S. Iacobum pro expugnatione, & muri funditus conuerſerunt. Sic qui de Saracenis baptizari uoluerint, reſeruari ſunt ad vitam, qui reſpexerunt, occiſi ſunt. His auditis mirabilibus omnes urbes ſe dediderunt, & facta eſt tota terra ſub tributo. An non hic uides quam uerum ſit: *Nimis honorati ſunt amictui Deus, nimis confortatus eſt Principatus eorum?*

Neque parum eius in gloriam cedit, quod hic Apoſtolus ſic honoretur conſeſſu peregrinantium; quod quidem olim oſtenſum eſt S. Gertrudi, ut reſert ipſa lib. 4. Inſpirationum diuine pietatis, 48. ubi ſic habetur: *Glorioſi Apoſtoli Iacobi Majoris feſto apparuit idem Apoſtolus, honorabiliter nimis exornatus meritis omnium peregrinorum, corpori ipſius ſanctas reliquias uenerantium. Vnde ipſa multum admirans quaſiuit à Domino: Cur ipſum præ cæteris Apoſtoliſ tali honore extuſiſſet, ut ſcilicet de longinquis regionibus populus ad eius reliquias colendas concurrat deuotiſſimo ſtudio, quàm ad tumbras Principum Apoſolorum Petri & Pauli? Reſpondit Dominus. Ego hunc dilectum mihi Apoſtolum hoc ſpeciali privilegio inter cæteros ſublimavi, propter ſeruidum zelum quo incitabatur amore mei ad ſalutem animarum. Vnde quia æterna prædeſtinatione mea ita ordinante tam cito ſublatuſ eſt à corpore, quod non præualuit, tantam multitudinem populorum ad fidem convertere ſicut ad laudem meam deſiderabat: uoluntas eius bona in conſpectu meo ſemper uigens & uiuens, mihi que per omnia placens, hoc promeruit, ut quod morte præoccupante in hac uita omiſiſſi, hoc nunc poſt mortem ſuam uſque in finem mundi per hoc ſuppleatur, quod tam multi ſignorum miraculis ad tumbarum eius crebre ſcæptibus moti, deuotâ peregrinatione ipſum uſitantes à peccatis abſoluantur, & in fide Catholica roborantur. Hæc tibi.*

Porro cum plerique peregrinationem illam impedimentiſ uariis diſtenti inire non ualeant, ut per merita euſdem Apoſtoli à peccatis poſſint abſolui; conſultum eſt uice peregrinationis in honorem ipſius in die euſ feſto Sacramentum Dominicum percipere, atque illud in laudem æternam Dei, & in augmentum beatitudinis & gloriæ Apoſtoli Iacobi offerre. Hoc enim cum feciſſet B. Gertrudis que

clauſtro & uotis clauſtralibus prohibebatur peregrinari; mox ei poſt ſumptionem & oblationem diuiniſſimi Sacramenti apparuit S. Iacobus inſtar præclari Principis, gratias immenſas referens Domino pro hac magnifica oblatione per uiuificum Sacramentum in euſ honorem facta. Orauitque Dominum deuotè, ut omnem effectum ſalutis quem ipſe pius Dominus per merita ſua inquam in aliquo homine dignaretur operari, hunc totum in anima huius Virginis Gertrudis, ob honorem ſui Sacramentum digniſſimum tanta pietate offerentis, glorioſè operaretur. Ita reſertur loco jam citato.

Concluſo, & ad Apoſtolum Iacobum uota conuerſo, & dico: O glorioſiſſime Chriſto Apoſtolo, ſpecialiter ab eo electe & dilecte, qui primogeniti nomen & titulum iure obtines, quia primus martirium & mortem pro illo ſubiſti, quia primus ſanguine tuo inter Apoſtolos ſidem & Eccleſiam ſanxiſti, quia primus calicem bibiſti, quia primus te in hoſtiam & uictimam nomen Domini inuocando, & calicem ſalutaris accipiendo obtuliſti, quia primus cruore tuo laureatus, quaſi uerſe primogeniture indutus, hæreditatem ad iſtiſ; impetra nobis gratiam ueſtigia tua ſectandi, pro Chriſto patiendi, amorem ipſius uſque ad mortem conſeruandi. Reſpice quoque Eccleſiam Dei afflictam pro qua ſanguinem ſudiſti, & euece eam gladio poteſtatis tibi concedito contra infideles, contra hæreticos, contra impios. Et quia tu Patronus es peregrinorum, ſiſ nobis auxilio peregrinantibus in hoc exilio, ut manu tua ducente, tandem perueniamus ad illum locum ubi in tuo conſortio miſericordias Domini, & Canticum Sion poterimus decantare, de terra aliena in terram uidentium & laudantium tranſlati.

Concluſio.

EODEM FESTO.

Acceſſit Mater filiorum Zabodai cum filiis, adorans & petens aliquid ab eo. Matth. 20.

Affectum naturalem parentibus Deus inferit. Pars I. Explicat. Et uoluntatem & regulam rectæ rationis, præpoſitaque ſit & ſine ordine. Quid ita? Quia prius ſolliciti ſunt de hoc ſæculo quam de futuro, de tempore quam de æternitate de terrenis quam de celeſtibus: magis fatagunt pro opibus & honoribus eis acquirendis, quam pro timore Dei eis ſigendo, ueraque pietate inſtillanda, ut hæreditate æternâ non deſraudentur. Sæpe etiam proles in quamlibet ſortem & conditionem ſæculi intrudere conantur, modo honorabilis ſit aut proficiat; nec attendunt, an ad eam uocentur à Deo an illius capaces, an non periculo ſalutis eam conſecuturi, an denique noxia tandem non ſit futura. Sic ſtolido quodam amore omnem morcem ſuam, ut deſiderio ſuo fatiſc.

LECT. 34.

Pars I. Explicat. Et uoluntatem & regulam rectæ rationis, præpoſitaque ſit & ſine ordine. Quid ita? Quia prius ſolliciti ſunt de hoc ſæculo quam de futuro, de tempore quam de æternitate de terrenis quam de celeſtibus: magis fatagunt pro opibus & honoribus eis acquirendis, quam pro timore Dei eis ſigendo, ueraque pietate inſtillanda, ut hæreditate æternâ non deſraudentur. Sæpe etiam proles in quamlibet ſortem & conditionem ſæculi intrudere conantur, modo honorabilis ſit aut proficiat; nec attendunt, an ad eam uocentur à Deo an illius capaces, an non periculo ſalutis eam conſecuturi, an denique noxia tandem non ſit futura. Sic ſtolido quodam amore omnem morcem ſuam, ut deſiderio ſuo fatiſc.